10.

Propter quod accidit in primo, quod in venatione solus in nemore erravit, et in nocte venit ad villam Pula, ibi hospitabatur cum fabro, qui, ut dixit, putabat eum esse unum de venatoribus principis domini sui; et ille, quando tundebat[a] cum magno malleo ferrum, semper in omnibus laboribus suis maledixit domino suo de molitie sua[a] dicens: 'Pessime et maledicte princeps, fias durus, ut defendas subditos tuos;' Et hec et similia verba per totam noctem audivit ab illo fabro silve; et sic fabricavit eum per ferrum suum, quod ille nobilis princeps, qui primo nimis mollis ipsis nobilibus apparebat, discebat[b] in hac nocte, quod postea eis ferreus et durissimus factus fuit, et rebelles postea conabatur humiliare, et hoc ipsi egre ferentes se hostiliter Domino suo opposuerunt. Accidit quodam[c] tempore, ut iniret[c] cum eis conflictum, et fortuna sibi arridente et justicia omnes illos cepit, quos tamen tamquam piissimus princeps noluit interficere, nec exheredare, ut bene decuisset, sed eos humiliando compulit, ut loco jumentorum et equorum aratrum in agro ad arandum sub manibus flagellantium traherent, ita quod semper quatuor unam lineam ararent, et sic alternando et continuando unum integrum agrum juxta morem rusticorum araverint propriis corporibus

~~a) tendebat c.~~

a) sue c.

b) didicebat c.

c) qdā (quoddam) c.

c) ıret corr in iret c